De

Claustris Svio-Gothicis,

Disquisitio Historico-Ecclestiastica,
cum Thesibus varii argumenti Theologicis,

cujus Particulam I

Auctoritate Max. Ven. Theol. Ord. Lundens.

pro Examinibus Sacerd. et Pastor.

p. p.

PETRUS WIESELGREN,

Respondente

J. A. CEDERSCHIÖLD;

Nobili.

In Acad. Carol. Audit. Maj. die XXVIII Novemb. MDCCCXXXII.

Londini Gothorum MDCCCXXXII.

Typis BERLINGIANIS.

Viro

Celeberrimo & Eminentissimo

D:ri ANDREAE GOTTL. RUDELBACH,

Super-Intendenti, Consiliario Consistoriali Pastorique Primario in Glauchau

Ecclesiæ Lutheranæ etiam in Suecia gratissimo, carissimo,

Historiæ Ecclesiasticæ, ut aliarum Theologiæ partium, æstimatori doctissimo,

Amico singulari

d. d.

Auctor

De
Claustris Svio-Gothicis
Disquisitio historico-Ecclesiastica.
Præmittenda.
§ 1.
Definitiones.

Claustrum, Germanicarum gentium linguis Klooster, Kloster &c., *Concil. Biterrens.* An. 1233 c. 7, *Inhabitationem religiosorum, vel domum includentum monachos & (seu) moniales sub certa regula viventes* simpliciter sed bene appellat.

Monasteria, *Coenobia* pluriaque talium domorum nomina non totam vim nominis *Claustri* exserunt. *Baazius* in *Invent. Eccl. Monasteria sunt postea facta Claustra, cum nempe sic clauderentur, ut egredi aut statum relinquere non liceret.* Jam in *Concil. Forojuliens.* an. 791, v. 12 monetur, ut *Claustrum quoque diligenter observetur & claudatur, ut re & nomine claustrum valeat appellari.*

Ad Claustra non retulimus *hospitia* ægrotantibus, pauperibus, itinerantibus accommodata, quæ *domus S. Spiritus* (Helgandshus) plerumque nominabantur, nisi in Claustra Johannitarum omnino abierint 1). Nec hic

---

1) In ipsis exordiis ad Claustra a Scandicis non referebantur. Seorsim observantur de Claustris Regum Danorum in Italia merita, seorsim de hospitiis. In Italia enim prima sua hospitia exstruxit religiosa cura Scandinavorum. "Eirikr Danakonungr Sveinsson brodir Knut hins helga" Luccæ argentum impendit, ex quo cuivis danica lingua utenti sat vini sine pretio suppeditaretur. Hospitium alterum octo milliaribus a Placentia austrum versus fundavit, in quo cuivis victus præberetur. Talia quinque in Italia memorat *Muratori* Antiqu. Ital. col. 576, a Magnatibus & principibus Scandinavicis perigrinantium gratia exstructa. Canutus Magnus eodem modo de Scandinaviæ incolis Romam petentibus bene promeritus est, *Knytl. S. in initio, Suhm H. af D. III: 612.* Hic vero de cultu religioso, qui Claustris erat proprius statuque, in quo erat permanendum, singulari nihil obvium. Cfr. *Symbola ad Geographiam medii ævi ex monum. Island. editis* in Programmate Werlauffii Haun. an. 1821 p. 27, 28.

Convivia (Gillen) sic dicta observanda duximus. In his nec religio, nec informatio nec aliud tale, quod *inprimis* respexerunt Claustra, tam prævalet, ut *Ecclesiastica* necesse habeantur. Si qua a numero valeat consequentia, Convivia ista *societates* salutentur *Laicorum*, in quibus etiam Clerici recipi potuerunt. Holmiæ in *Convivio Corporis* (Helga Lekamens Gille) an. 1437, ut exempla adferantur, 10 clerici, 31 laici, an. 1453, 10 clerici 42 laici, an 1474 6 clerici 20 laici recepti sunt. Registra Sociorum sic incipiunt: *an. Dni isti effecti sunt Fratres & Sorores Conv. Corp. Christi in bibitione.* Cujus historiam hic non curamus 2). *SvioGothica regio* heic hodiernis circumscripta est terminis. Sic absunt *Claustra Fennonica* antea a Monasteriologis Suecanis observata. Advenere, quæ Episcopis Norvegicis subdita fuerunt, *Bahusensia. Archi-Episcopatus Lundensis Claustra*, non tamen sine auctu notionum, breviter recensendo primum caput recentissimi operis: *Om de Danske Klostre i Middelalderen. Et Priisskrift af J. B. Daugaard. Kiöbenh.* 1830 (pag. 448 4:o), tantummodo sunt tractata.

§ 2.

Observationes.

Monographias Claustrorum tantum scripsimus. E speciali historia lectores ipsi facilius generalem percipere possunt effigiem, quam e generali adumbratione singulorum faciem sibi effingant. Gratulor mihi, si hisce saltem monographiis editores adfuerint. Introitus etiam, quem monographiis præfixi, differendus fuit, ut potius Claustra Svio-Gothica in totum proponere possem.

Ordines Monachorum ordinem Monographiarum mihi suggesserunt. Sic enim sine verborum apparatu vim & vigorem Monachismi tam variantis quodammodo exponere, sic ingenia parentum forsan illustrare possem. Conspectus *Dioecesanus* & index *Alphabeticus* calci addetur. Nomina Svethice scribimus, melius ut a lectoribus intelligamur. *Offendit* hoc loco materies. Nonne tamen *historiæ* digna? De *Emigrationibus* parentum quanta volumina conscripta! De *Immigrationibus* Europæorum transbalthicorum, quibus terram Vikingorum resalutandi officio satisfacerent, quare pæne reticendum? Nec oblivioni tradendæ ideo, quod non *ensis* sed *ingenii* vis tunc prævaluerit. At hoc ingenium erat, si verbo indulgeri possit, *ecclesiasticum*, & *historiam* post millenium *Ecclesiasticam* exspectamus. Nonne vero Monachismus particula est historiæ Ecclesiasticæ, tam insignem inter disciplinas theologicas

---

2) Vide *Witt. Hist. o. Ant. Akad. Handl. II p. 228.* Cfr. *Wallin Sigtuna Stans et Cadens p. 329—331.*

tenentis locum? Ipse Dr. Laur. Stigzelius Archi-Episcopus, qui vim & ambitum *Theologiæ* bene novit, in *Synodo* Upsaliensi an. 1671 ut ventilationi Sacerdotum submitteretur dissertatio *de Collegiis Canonicorum Cathedralibus et monasteriis* permisit.

§ 3.

Fontes.

Historiographia Claustralis s. Monasteriologia Svio Gothica brevi per sæculum conticuit. Quomoda antea locuta est, non nobis ipsis forsan judicandum. Audiatur Celeberr. Porthan: "*Vastovii* notitia monasteriorum vitiis omnis generis scatet. *Messenius* longe adhuc imperfectior. *Rhyzelius* Messenio pro more concinit atque . . ex ingenio addit . . . Hic *ipse* Rhyzelius" . . : *Chron. Ep. Finl. Juust. p.* 591, 388 &c. Quos triumviratum hujus historiographiæ constituere omnes scimus. *Libere* Vastovium & Messenium descripsit *Joh. Sparrman* in dissert. Synodali de *Collegiis Can. Cath. et Monasteriis Regni Sveciæ* brevissima. De quo *Warmholtz:* "är hvarken accurat eller fullständig." *Bibl. Svio-G. IV: p.* 246. *Petri Staaf*, Præside *Joh. Hermansson*, dissertatio *de Ord.Bened. in SvioGothica;* ubi Catalogum Claustrorum invenies, multa quidem continet sed sine omni fere examine congesta. *H. Spegel* in Historia Ecclesiastica Claustrorum notitiam historiæ singularum provinciarum episcopalium subnectit, ex suo ipsius doctrinæ penu. *Monasteriologos Svio-Gothicos* igitur nuncupamus: *Vastovium*, *Messenium*, *Sparrman*, *Spegel*, *Herrmansson* & *Rhyzelium.* Ubi de claustris Archi-Episcopatus Lundensis quæritur, *Daugaard* addendus. Apud Vastovium, Messenium, Sparrman & Rhyzelium ne linea quidem de fontibus, unde notitiæ haustæ, apparet. Daugaard unus historiæ novit ingenium.

Singula claustra melius observata. Nominasse sufficiat *Georg. Wallin*, *Georg. Nordberg*, *E. M. Fant* cet. Centenis autem e fontibus guttæ, quas porrigimus, hauriendæ fuerunt. Ordinem in excerpendo confiteamur. Primo Manuscriptas litteras Bibliothecarum Lundensis & Löberödensis omnino pervolvimus, omnia de monasteriis Suethicis observantes, observationeque digna describentes. In his *Diplomatariis* Bibliothecæ Lundensis plurima debemus, nuper inventis, dispositis & compactis. Adferantur: Bibl. Ms. H. a fol. 3. *Diplomer ur Sv. Riks Arch.* 1300—1500 *med Register på desse* 9 *Sexterner af Afskrifvaren J. A. Stechau, Amanuens. Arch.* jemte *Rubrikerna på brefveu i* 1 *och* 2 *Tomen af Örnhielms Bullarium* (T. I: 1300—1400; T. II: 1400—1578). 4. *Diplomer ur Sv. Riks Arch.* 5. *Udskrift af nogle originale documenter, som findes i det Kongel. Danske Geheime-Archiv, hvilke angaae Sverrig*

og gaae fraa aar 1457 *till* 1523 (N. 1—76) *Vidimerade af Archivivarius C. E. Voss, med register af Canzli-R. Lagerbring.* In quarto 1, 2. *Boetii Johannis Diplomatarium Lundense, copieradt af Canzli-R. Lagerbring, med register af Prof. S. J. Sommelius på N.* 1—287. *Innehåller N.* 1—302 *af Diplomata Capituli Lundensis.* Cetera N. 303—428 habuimus in Dipl. in fol. N. 1, 2. *Diplom. Cap. Lund. T. I & II*, quæ Holmia ad nos nuper missa sunt, olim requisita. In 4:o 3. *Diplomatarium Langebekianum* (1314—1655) *copieradt genom Langebeks försorg till Lagerbrings tjenst, med register af Langebek.* 4—7 *Diplomatarium Lagerbringianum, copieradt merendels af hans egen hand; några copior af C. G. Nordin, C. Gjörwell m. fl.* H. c.) fol. n. 160. *Ex registro Arch. Regn. de Monasteriis Scanensibus a Kiliano Stobæo* (m. pr.) inter ea, quæ prius consuli potuerunt, heic grate referamus. Nec reticeamus *Collectiones Historicas Lagerbringianas Tom. I—VII, Collectiones Historicas Svenonis Hylander* & *Miscellana Scanensia*, quæ in ordinem redegit Eminentiss. Pro-Cancellarius & Episcopus Dr. W. Faxe. (H. c. fol. 163—166; 4:o 108—114). Manuscriptis relictis *Collectiones Scriptorum rerum Suecicarum & Danicarum medii ævi, Dissertationumque* nostrarum congeriem, & quidquid de cetero librarii penus penuria concesserit. Igitur quæ attulimus non Monasteriologorum auctoritate nituntur. Fontes adire voluimus ut licet *pauciora*, tamen *certiora* afferremus.

§ 4.

Dispositio.

I. Claustra incerti ordinis,
II. S. Antonii,
III. S. Augustini,
IV. S. Benedicti,
V. S. Bernhardi s. Cisterciensium,
VI. S. Birgittæ,
VII. Carmelitarum,
VIII. Carthusianorum,
IX. Cluniacensium,
X. S. Dominici s. Prædicatorum,
XI. S. Francisci s. Minorum,
XII. Johannitarum,
XIII. Præmonstratensium.

Siglorum explicatio:

Signo ? dubia, † ficta et delenda, †*) delenda at alibi quærenda indicantur.

De

Claustris Svio-Gothicis.

I. Incerti Ordinis.

1. (?) Backe (Kungsbacka urbs in Hallandia?)

Claustrum Sororum.

Auctores.

Suhm Hist. af Danm. XIII p. 399: "Söster Kristine Abbadisse i Backa og Siughurde Choresson Raadmandder, solgte Saxvik gaard tillhörende Bakke Kloster 1359." *Index ejusdem operis* in litt. B: "Bakke, et Kloster i Swerrge.

De loco conjectura.

Licet enim nescimus, quis sit indicis auctor, non tamen nescimus Danorum literarum curam, quæ indicem talis operis conscribendum relinquere non potuerit viro auctorem temere illustranti. Sed vix auctoritate tali opus est. *Scandinavicum* est claustrum. In *Dania* a Danis ejectum quis quæreret? In *Norvegia* aderat quidem *Bakke Kloster.* Cur ad id locum non retulit auctor Danicus, non explicuit. Hoc autem Norvegicum, Nidrosiæ vicinum, in *vico* situm. *Urbicum* vero nostrum. *Raadmand* enim *ibidem* est, cui munus injunctum videtur, conventui monialium operam in prædiis vendendis navare. Hoc quoque illustrans diploma, nulla Seciæ notione, adfert Suhm XII: p. 594, nempe testamentum Comitis Drotzeti Biörn Erlingson de Biarköe, in urbe Bergen an. 1308 datum, qui sepulchro Nidrosiæ electo prædia adsignat *"till Klostret Bakke - - Tuteröe, Rhein, Holme - - rundt om i landet."* Duo in Norvegia *Backe* nomine insignita, quorum unum Danis incognitum, quis suspicetur? *Suecia* restat. Hic nulla vix aphæresis usitatior quam Kung. E. gr. Bro (Kungsbro), Lena (Kungslena), Husby (Kungshusby) &c. Qua prosthesi fingitur *Kungsbacka.* Hæc urbs, ut de

claustri situ facilis suspicio nascitur, in confinio trium regnorum Scandinaviæ obvia. Sæculo XV tantæ erat auctioritatfs, ut concilia e tribus regnis legatorum primo anno in Kungsbacka, secundo in Nylödese, tertio in Kungelf habita sint 1). Isti & huic celebria fuerunt claustra. Vix, si ingenium adtendamus sæculi, verisimile, illud tali caruisse. Cum vero de loco disceptari *potest*, dubitationis signum addidi loco de cujus existentia non dubitare licet.

Scimus autem procerto

An. 1359 Claustrum Monialium, a Backe (Clivo) nominatum, non in Dania, vix in Norvegia, verisimiliter in Svecia situm, prædium suum Saxvik, consentiente viro e Magistratu loci *Sigurdo Thoresson* (?), vendidisse.

Abbadissa

Christina anno supradicto Claustro præfuit.

2. Bura

Claustrum in Medelpadia.

Auctores.

Claustri a R. Gustavo I detructio, de qua Historici passim. *Collectiones Palmsköldianæ* Upsaliæ Tom. Wetterbotten. *Rhyzelius:* Monasteriologiæ p. 72 *Hülphers:* Beskr. om Norrl. V. Saml. p. 112.

De exstructione sub R. Erico XI.

In insula amnis Bura, ubi ex Buraträsk lacu defluit, *Herse* e gente celebri Bureana, *Fale junioris* filius circa an. 1250 claustrum ligneum exstruere coepit. A filio *Olao* perfectum inhabitabant præter Abbatem XII monachi.

De destructione sub R. Gustavo I.

Inter 2000 prædia Claustrorum & Ecclesiarum, quæ Auctore Peringskiöld 1), Regni fisco Arosiæ an. 1527 redderentur, etiam erant Claustri Bura.

---

1) Hadorphs Rim-Chr. II D. p. 330.

1) Mom. Uller. p. 174.

Illi tum præfuit Abbas, *Jon Bure*, quem pronepotem exstructoris nuncupat Rhyzelius. Seriem genealogicam exponit: Fale — Herse — Olaus — Andreas — Olaus — Jon. Illam non probat Hülphers. Jon Bure a Rege emissus est ad Lappones sacris Christianis initiandos templaque ibidem ædificanda. Aciem vero oculorum ejus delebant Lappones, ita ut litteras legere non posset, quare fratres Claustri iterum visens australes regni regiones cum eis petivit.

Rudera.

An. 1601 a Secretis Johan Thomasson Buræus locum visitans, cellam abietibus altis obumbratam invenit, ruderibus autem de domo locupleti testantibus, quam annotationem multis repetitam locis invenies.

3. Halmstad
(urbs in Hallandia).

Claustrum S. Annæ.

Auctores.

Daugaard l. c. p. 154. "Halmstad hade 4 Kl . . . 2. S. Anna Kl. hvis Orden ikke er bekjendt. Det mottog 1430 en Gave, hvorpaa Brevet endnu haves. 4 Graabrödre eller Fr. Kl. var det yngste, då det först blev stiftet 1512 af K. Hans." *Bexell Hallands Beskr. III: p.* 384 *sequ.* S. Annam Patronam fuisse docet Claustro Franciscanorum, quare quæ apud Daug. N. 2 & 4 distincta sunt, apud eum in unum coaluerunt.

Examen,

vide, ubi de *Dominicanorum* & *Franciscanorum Claustris Halmstadiæ* quæritur. Hic tantum

Judicium.

In eo errat Daug. quod *Cl. Franciscanorum* an. 1512 fundatum adfert. *Annales* citat *Eccl. Pontopp.* p. 741, ubi fontes nulli commemorantur. Auctorem oculatissimum fugit annotatio in *Hist. Ord. Fratr. Min. in Dania* 1232—1535 *Scr. Rer. Dan. V: p.* 514: "1494 fundata est domus pro fratribus in opido Halmstadiensi. Et in die confess. S. Pauli primo ibid. celebratum." In eo errat Bexell, quod Cl. S. Annæ una cum Cl. Franciscanorum exsti-

tisse putans unum idemque hæc duo esse perseverat. Litteræ donator. an. 1430, quas citat Daugaard, illi ætatem provectiorem quam huic aperte addunt. Litem alia documenta componere videntur. Vetus enim Claustrum S. Annæ potuit aperiri advenientibus Franciscanis. Vide *Francisc. Halmst.* Hinc tamen sequitur, *Claustrum Annæ incerti ordinis* Halmstadiæ quondam fuisse.

4. (†) Halmstad.

Claustrum S. Catharinæ.

Auctores.

Daugaard l. c. 1. Dominicaner . . . 3. Catharina Kl. förekommer i tvende Donationsbreve af 1454 och 1469. Ogsaa dettes Orden er ubekjendt. *Bexell l. c.* Catharinam patronam Claustri Dominicanorum fuisse docet, qvare hæc duo claustra in unum componenda sentit.

Examen et judicium

breve potest esse. Prædicatorum Claustrum sæculis XIII, XIV & XVI floruisse probant multa diplomata. Juxta Claustrum Annæ unum scil. *S. Catharinæ* in Sæc. XV nobis obvium, ex quo, ineunte reformatione, pro divitiarum ratione an. 1532 231 lod silfver exigitur, cum 86 lod & 1 qvintin a Cl. S. Annæ posceretur. Quid illud nisi florentissimum Prædicatorum? Ita tacite non tantæ opes colliguntur. Heic igitur Doctori Bexell assentientes mortis signum numero addimus. Cetera inter *Claustra Dominic. Halmstad.* habes.

5. Kungelf

(urbs in Bahusia).

Claustrum Fratrum, Franciscanorum nondum exstructo.

Auctores.

Diplom. Svec. ed. Liljegr. T. I. p. 92; *Messen. Scond. Illustr. T. I. p.* 54, *Rami descriptio Norv. p.* 59.